

indicibilium diuersorum malorum genera exorta, suscitata, perpetrata, ymmo in tantum et adeo aggregata, ac per quosdam potentes accumulata extiterant, ut ex his malis propter oppressionem pauperum Nobilium et aliorum possessionatorum hominum maxima guerra in hoc Regno Sclauonie oriri uidebatur, ymmo iam exorta extiterat, dictique Nobiles Regni hujus Sclauonie ne in infidelitatem contra Serenissimum principem dominum nostrum regem Sigismundum aliquomodo necessitate compulsi incurrissent, eorum fortalitia atque castella, domos, possessiones et hereditates ad manus et potestates nostras dare et assignare uolebant et conabantur; videntes igitur et considerantes, ut ubi super premissis de remedio oportuno prouisum non fuerit, et dicti actus nephandissimi et perniciosi potentiarii magis et magis augmentarentur, extunc per oppressionem potentum, eorumque sequaces ipsum Regnum Sclauonie quasi in nihilum redigeretur, et pauperes nobiles Regni huius eorum hereditatibus eradicarentur, et eorum rebus et bonis plenarie priuarentur, vna cum Prelatis, Baronibus, Regnique Sclauonie Proceribus, in Crisiensi, Zagrabiensi, Varasdinensi et de Verewcze Comitatus constitutis, ad presentes octavas festi beati Georgii Martyris signanter et precise pro prosecutione infrascripte dispositionis huc ad nos confluentibus, vnanimi et concordii voluntate vsque felicem aduentum dicti domini nostri Regis in dictum Regnum suum Hungarie fiendum, hanc fecerunt et instituerunt dispositionem: Quod primo et principaliter annuatim non plures nisi quatuor octavas, videlicet festivitatum Sanctorum Georgii, Jacobi, Michaelis et Epiphaniarum Domini instituemus, in quibus vniversis nobilibus Regni Sclavonie in Crisiensi, Zagrabiensi, Varasdinensi et de Verewcze Comitatus Iudicium et iustitiam juxta antiquam consuetudinem Regni, et presentis Institutionis stabilitatem debeant judicare, ita videlicet, vt semper ipse octaue inchoentur feria secunda proxima post octauum diem festorum predictorum, et birsagia distribuantur feria tertia, videlicet die sequenti; Item decretum proclamate Congregationis vsque felicem adventum Regie Majestatis ad Regnum suum Hungarie fiendum nullus emanari facere debeat, et in eo ulterius non procedat vsque terminum prefixum, sed omnino condescendat et sopiatur, sed super actibus potentiariis post recessum dicti domini Regis de hoc Regno factum quicumque Regni nobilis unus super alterum perpetrasset, vel alia nocumenta, dampna, iniurias, spolia, nouas possessionum seu terrarum occupationes, hominum interemptions, aliorumque quorumuis malorum genera intulissent, aut vsque aduentum domini nostri Regis in Regnum suum Hungarie fiendum intulerint, talis, cui, vel super quem premissa perpetrata facta potentiaria, ac dampna et alia omnia intulissent, in eisdem octauis, in sedibus Crisiensi, Zagrabiensi, Varasdinensi et de Verewcze predictis, querimonia coram nobis et nostris Vicebanis et Comitibus ac Vicecomitibus Comitatum predictorum, ceterisque probis viris et Iudicibus nobilium, qui pro tunc in eisdem octauis aut in quacunque earundem octauarum in ipsa sede fuerint constituti, aut constituti, querimoniam promovere debeant et teneantur, ibique nos et prefati Vicebani nostri aut Comites vel Vicecomites ex dictis nobilibus . . . ndem nobilium audita ipsa querimonia ipsius querulantis, si factum arduum extiterit, extunc octo vel sex, ubi minus factum fuerit, extunc quatuor, ex dictis autem Iudicibus nobilium similiter si arduum factum fuerit, tunc omnes quatuor, ubi vero minus factum, tunc duo ad faciem possessionis facti perpetrati eaque . . . investigandi et rescindi meram certitudinis ueritatem, scitaque mera ueritate juxta